



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

9. An post Decretum Vrbani VIII. Regulares habeant aliquod priuilegium, cuius vigore possint hodie, vt, olim, reducere Missas ad minorem numerum? Et breuiter discurritur, quod dato quod esset tale ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

## Tract. I. De Celebrat. Missarum.

tom. 1. quest. 41. art. 24. Rodriq. tom. 1. quest. 43. art. 13.  
Nauarr. cap. 25. num. 38. & alij. Ratio est, quia Episcopi id facere possunt ex iure communis, neque quod ad eos Conc. statuit ius nouum, sed statuit antiquum feruari; quo verò ad Abbates & Generales, ius nouum constituit. Ergo, &c.

### RESOL. V.

An predicta facultas moderandi Missas comprehendat etiam anniueraria, & officia pro defunctis? Ex p. 2. tract. 14. Resol. 5.

Sup. hoc in Ref. seq. & fin. in Ref. II. cuius in principio.

§. 1. **A**ffirmatiū respondet sacra Congregatio Archiepiscopo Neapolitano, ut Garsias de benef. tom. 1. part. 7. cap. 1. n. 13. Naldus in summa verb. Missa, n. 10. Galterus in Margarita casum conscientia, vers. Missa, n. 4. Riccius in praxi, part. 1. resol. 341. n. 2. Piasecius in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. n. 15. & Stephanus Quaranta in summa Bullary, verb. Missa, & alij tradiduntur.

### RESOL. VI.

An prohibito moderandi Missas facta Episcopis in Decreto de celebratione Missarum, comprehendat etiam anniueraria, & officia pro defunctis? Ex part. 6. tr. 7. & Miscell. 2. Resol. 40.

Sup. hoc in Ref. præterita, & infra ex doctrina Ref. II. in principio.

§. 1. **A**ffirmatiū respondet Ioannes Anton. Nouarius in summa Bullarum, tit. de Missar. celebration. n. 8. vbi sic ait. Ampliatur tertio, ut predicta prohibito moderandi Missas comprehendat etiam anniueraria, & officia pro defunctis, & respondit sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium N. Archiepiscopo Neapolitano restituens Garsias, Naldus, Riccius, & Piasecius. Ita Nouarius.

2. Sed nouissime aduersus illum insurgit Merolla tom. 3. diff. 7. cap. 5. dub. 16. n. 389. nam supra citati Doctores non loquuntur de supradicta prohibitione Urbani VIII. sed de concessione facta Episcopis à Tridentino, ut possint reducere numerum Missarum: & dicunt in ea etiam includi anniueraria, & officia pro defunctis. Et hoc declarant sacra Congregatio; & probatur manifeste: nam omnes Doctores ab ipso allegati scripsierunt antequam fieret hæc prohibito ab Urbano, ut clare patet. Vrûm verò dicta ampliatio benè adaptetur huic prohibitioni, ita ut extendatur ad anniueraria, & officia defunctorum, probabilius existimo non extendi, saltem quoad officia defunctorum. Et ratio est, quia hæc prohibito est correctoria iuris communis, (Concilium enim Tridentinum ius commune constituit) ergo non erit extendenda ultra casum, in quo loquitur; quia correctio legum est odiosa: cum ergo loquatur tantum de reductione Missarum, ut ex le pareat, non erit extendenda ad officia mortuorum, qua Missa non sunt.

### RESOL. VII.

Quanam facultas per Decreta Sacra Congregationis de celebratione Missarum sublata sit Episcopis, & Generalibus Religionis, & Ordinum renovandi Missas ad minorem numerum? Ex part. 6. tr. 6. & Misch. 1. Resol. 10.

Sup. hoc supra in Ref. 2. cuius in si-

§. 1. **R**esolutio huius difficultatis pender ex intelligentia verborum sacrae Congregatio-

nis Ibi, *Ac primò difficulte prohibet, &c.* Sed secundum Marchinum de Sacram. Ordinis tract. 3. par. 1. cap. num. 31. per dicta verba non censurare revocatum priuilegium moderandi Missas, & anniueraria relativa tribus ante Tridentinum relicta, quorum maximus est numerus: nam Decretum supradictum Sanctissimum. N. Urbani prohibet eam solam Missarum reditum, quæ post Tridentinum acceptata fuerunt, ut optimè notatur in Synodo Florentina sub die 18. Maii 1627. §. 3. de Missar. celeb. & satis declarant illa vestigia Decreti; aut post Concilium imposita. Deinde non videtur per hoc decretum derogatum Episcopis, qui possint moderari Missas aliqui Ecclesiarum reliqua, dum tamen ob tenetatem Eleemosynæ ab ecclesiis Ecclesia acceptata: nam Decretum hoc loquitur manifeste de oneribus Missarum impositis; non est autem onus impositum nisi post acceptationem, & intentio eiusdem sola est, ut numerus Missarum regularis & acceptatus adimplatur. Quare ante acceptationem non abstulit Episcopis facultatem, que illa de iure communis competit, alterandi & moderandi eas Missas. Et ita senxit Marchinus te cum multa viris doctis communicata, salvo tamen metio in inicio, ait ipse, & sub censura Ecclesie.

### RESOL. VIII.

An per Decreta Sacra Congregationis facilius revocata priuilegia Regularium circa legata Missarum. Ex part. 6. tract. 6. & Miscell. 1. Ref. 11.

§. 1. **R**espondeo affirmatiū, ut patet in illis verbis. *Id verò, ut deinceps, &c.* Sed obtemperio Philibert. Marchinus de Sacramento Ordinis in 3. part. cap. 20. n. 7. quod post euulgata dicta de cunctis Sanctis. D. N. Urbanus VIII. die 13. Iulij 1626. ad petitionem Deodati Lomellini Procuratoris Generalis Ministrorum S. Francisci de Paula, concessit Fratribus eiusdem Ordinis Cœnobij Ianuenis, ut legata Missarum perpetua & oneri annexo impatia ad rationem quinquaginta scutorum moneta Romana pro qualiter Missa quotidiana reducerentur: decenter per celebrationem Missarum sic reddituarum salutis anime rerum eorum, quorum intentione Missa sic redditus fundatae fuerint, suffragari, perinde ac si illæ vere realiter, & cum effectu celebrarentur: dictaque dominus correctorem, & fratres desuper à quoquum quovis auctoritate molestari, perturbari, vel inquietari non posse. Et hoc priuilegium afferre Peyrinum regalibus etiā notauit, quo quidem in pari causâ docet rectè Marchinus per communicationem, non modo alia ciusdem Ordinis domus, sed etiam aliis Religiosum familiæ, qua communicanti in predictis priuilegiis profrauentur.

### RESOL. IX.

An post Decretum Urbani VIII. Regularis habeant alii quod priuilegium, cuius vigore possim bodere, ut non reducere Missas ad minorem numerum? Ex breviter dicto, quod dato effet tale priuilegium pro Minoribus, & Minoribus, an talis gratia alii Religiosi, per communicationem suffragari possit. Ex part. 16. & Miscell. 6. Ref. 67.

§. 1. **E**x Marchino, & Peyrino ego olim docui Urbani VIII. post euulgatum illud de decreto concessisse, die 13. Iulij 1626. Fratribus Ministris Cœnobij Ianuenis, ut legata perpetua Missarum

# Atque SS. Eucharistiæ Sacram. Ref. X. &c. 3

Missarum, & oneribus imparia reducere possint ad rationem quinquaginta scutorum monetae Romanæ pro qualibet Missa quotidiana. Quo priuilegio per communicationem pariter fuentur & alia domus eiusdem Ordinis, & aliae Religiones, qua communicanter in priuilegiis. Et ita hanc sententiam præter Caspensem à me alibi adductum docuerunt etiam Petr. Marchant. in Trib. Sacr. tom. 2. tr. 2. p. 2. tit. 4. q. 2. ref. 5. Garcias in Sum. Theol. Mor. tract. 3. diffe. 10. sub. 4. n. 22. Pellizzarius in Man. tom. 2. tract. 6. c. 3. n. 8 & me citato P. Lugo de Sacr. lib. 5. c. 12. q. 9. n. 96.

2. Verum hanc opinionem acriter impugnat Pater Magister Lezana in Sum. QQ. Regul. tom. 4. verb. Missa num. 31. quia secundum Praxim Religionum, gratia concessæ per Brevia particularia à Summo Pontifice, vel Sede Apostolica aliqui domui, vel Conventu non solent communicari aliis, neque eiusdem, neque diuersæ Religionis dominibus, alia magna confusio, & absurdia inde sequentur; sed etiam quia Pontifex in dictis litteris non concedit facultatem reducendi talia onera Missarum, sed ipse ea reducit de consilio Dominorum Cardinalium Congregationis Concilij. Si autem hoc factum Pontificis communicaretur aliis Religionibus habentibus communicationem cum Minimis, procul dubio non esset ipsi necessarium recurrere pro talium onerum reductione ad Sedem Apostolicam; sed utri hac reductione, & in numero aliis, quæ quotidie sunt ab eadem Sede; quod est absurdum, & contra quotidianam experientiam, quæ constat, omnes Religiones solitas esse reccare ad sacram Congregationem singulis viciibus pro similibus reductionibus. Similiter, si talis gratia suffragari posset aliis Religionibus, etiam dici possit, quod cum sacra Congregatio concedat facultatem aliqui Religioni faciendo, v.g. aliquam alienationem; vendendi vel illiciti aliquam vineam, vel domum, possent aliae Religiones propter communicationem priuilegiorum utrū ipsa, quod est absurdum.

3. Unde ex his, non obstante autoritate Peyrini, Marchini, Caspensis, Marchantij, Garciae, Pellizzarij & Lugo ubi supra, ego nunc sententiam Patris L. zana adhuc ero, & quidem nimis me virget stylus Curia Romana contra sententiam adduclam, & contra Doctores citatos.

4. Nec obstat aliud priuilegium Urbani VIII: concessum Fratribus Minoribus; nam ad summum, ut obseruat Tamburinus de Sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 4. n. 17. esto propter reductionem Missarum quotidianarum illi non obligarentur ad Pontificem confluere: obligarentur tamen propter alias reductiones non quotidianas, & quando reducio infat, ut fiat extra Capitulum. Adde concessionem dictam solum loqui de reductione facienda in primo Capitulo, & non amplius; quare si occurrat facienda alia reducio post illud Capitulum, certè ad sanctam Seudem erit recurrentum.

5. Caveant igitur Regulares à sententia Marchini, & aliorum; nam Praxis Romana Curia demonstrat, illos debere pro reductione Missarū ad sanctam Seudem recurrere, ut re vera in casu contingentí recurrent omnes Regulares.

## RESOL. X.

An Generales Religionum possint dispensare, ut certarum Missarum cum multis collectis celebratione, plurium Missarum oneribus Regulares subditæ satisfaciant? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 6.

§. I. R espondeo, quod hoc licitum erat, ut obseruat Rodriguez tom. 1. q. 43. art. 13. Bartolomeus ab Angelis in exam. Confess. dial. 5. §. 764. Tom. II.

Fraxinellus de Sacerd. oblig. sect. 7. §. 9. & Conferius ait, ex priuilegio Iulij II. & Leonis X. potuisse Regulares, ex dispensatione Generalis unius Missæ celebrazione, cum nouem collectis, vel inferioris numeri satisfacere pro nouem Missis, etiam specialiter de Requiem, vel de aliis Sanctis dicendæ fuissent. Sed modò sacra Congregatio in supradicta Balla §. 4. reuocat similia priuilegia, & indulta. Ergo, &c.

## RESOL. XI.

An Superiores Regulares possint reducere Missas ad minorem summam?

Et an Regulares satisfacere queant plurimis Missis debitæ per unam Missam, additis in ea tot commemorationibus, quo Missa debita erant dicenda? Ex p. 1. tract. 2. & Missell. 2. Ref. 4.

§. I. C ita hanc difficultatem Brunnus part. 2. tr. 8. Sup. hac do- cap. 1. prop. 8. & 9. assertit, quod possunt etiam supra Generales Regularium ex causa reducere ad minorem in Ref. 4. i. numerum Missas, quæ vocantur Missæ donationum, & anniversariorum, non solum in capitulis Generali- bus, & Provincialibus, sed etiam extra illa. Deinde addit, quod Prelati generales possunt dispêlendo fa- care, ut subditæ Regulares satisfacere queant pluti- bus Missis debitæ per unam Missam additis in ea tot commemorationibus, quo Missa debita erant dicenda: possuntque suam facultatem ad id faciendum aliis committere. Et hoc ex priuilegio Leonis X. & ibid. Marrini V. quod huius tenoris est: De cetero per- petuis futuris téporibus possint in una Missa facere commemorationes nouem, quæ satisfacient ex Apo- stolica dispositione pro 9. Missis debitæ, vel minorem numerum descendente, qui etiam satisfaciat pro tot Missis præmissis, quo fient commemorationes; & quidem tam plenæ, ut conscientia corum penitus exoneretur à promissionibus, & fidelibus tantoper suffragent, ac si diuersis diebus integraliter Missas impositas sigillatim celebrassent: Quid clarius?

Quod quidem priuilegium valere non solum pro Missis receptis, verum etiam pro recipiendis, cum verba priuilegij sint absurda, & abstrahant à differentiis temporis, ut considerant, patet: quod confirmatur ex verbis, quæ præfati priuilegij verba præcedunt, in quibus exprestæ habentur; Ut commemorationes dictæ suffragent fidelibus, qui dederint elemosynas pro Missis dicendis, vel quos in posterom dare contigerit. Deinde subiungit: Ut Generalis dispenset pro Missis dicendis, &c. iuxta tenorem præhabitum, &c. Et quod posst hanc facultatem Generalis alii committere, probat, quia hæc gratia facta est potissimum Ordinibus Regularibus, deinde persona Generalis tanquam prima; per quam ad alia sui Ordinis membra, ad eam postea influendam, diffundi debet, qui autem per alium facit per seipsum facere videtur. Secundò, quia omnis potestas ordinaria est delegabili, hac autem est ordinaria, ut pote in perpetuum concessa, & officio perpetuo annexa. Nec obijicias, quod hæc potestas est extraordinaria; nam licet ita se habeat, sitque potestas delegata, est tamen subdelegabilis potestas delegata, quando datur à supremo Principe delegatis ad vniuersitatem causatum, cuiusmodi est hæc, quæ à Papa concessa est in usum reducenda, iuxta usum potestatis cuiuslibet Generalis, ut constat ex cap. fin. de offic. deleg. & ex cap. cum causam de appell. Non obijicias secundò, electam fuisse personam in industria, & iudicium; nam respondebitur non ita esse, quando eligitur persona incognita, & indeterminata; nisi per qualitatem futuram, sicut in hoc priuilegio,